



DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

Sammlung Ponickau

Disputatio De Bibliothecis

**Quam ... d. 13. April. ... M.DC.LXXVIII. Publice prop. M. Johannes
Georgius Zihn ... Respondente Adamo Gruber/
Sempronio-Pannonio.**

**Zihn, Johann Georg
Gruber, Adam**

Lipsiae, 1678

VD17 12:139458Y

urn:nbn:de:gbv:3:1-3473

π_a
4





Q. 529, 4

B. m

IIa
4

Disputatio
De
BIBLIOTHECIS,
Quam
Permittente
Inclytâ PHILOSOPHICA Facultate

In
Academia Lipsiensi

d. 13. April. B. A. C. M. DC. LXXVIII.

Publicè prop.

M. JOHANNES GEORGIUS *Sibm/*
Sula - Francus.

Respondente

ADAMO Gruber / Sempronio-Pannonio:

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI,





F

Br
etia
tem
que
Ho

B. n
(d)
Exc
lon
cuj
neg
dic
lau

Ch

In
rep
p
bi
Lo
fer
cis
ter



1676

BREVE hoc de BIBLIOTHECIS habes: quid nobis DIGNIUS, qui Libros assiduè tractamus? verba sunt Justi Lipsii (a) hæc Nostra impræsentiarum facere nobis liceat, qui similiter de BIBLIOTHECIS aliquot proponere theses constituimus. BREVE est, quod molimur, nec INDIGNUM nobis: nec etiam, quod addimus, INTEMPESTIVUM. Id enim Nunc tempus est, quò in Almâ hæc ante Biennium (b) Idem quoque argumentum (c) solennis cujusdam Orationis (d) fuit. Hoc est quod molimur: faxit Deus (e) ut Feliciter!

(a) in præfat. ad Lectorem syntagm. de Bibliothecis. (b) d. 15. April. a. b. 1676. (c) de Bibliotheca, Lipsiensis nimirum Academiæ Paulinæ. c. (d) Oratore disertissimò Virò Plurimum Reverendò Amplissimò atque d. Excellentissimò Dn. L. Joachimo Fellerò PP. & Academiæ Bibliothecariò longè merentissimò, Præceptore ac Patrono æternùm devenerandò, cujus insignem humanitatem, quam ex perquam benevolâ librorum ad negotium hoc nostrum communicatione perspeximus, meritò hîc de prædicamus. Habita autem fuit Oratio in solenni XIX. Philosophiæ Baccalaureorum renunciatio. e.

(e) nam Felix non est conatus & Utilis unquam, e.
 Augustum si non detq; juvetq; DEUS.
 Christian. Liebenthal in colleg. Ethic. exerc. 1. præm. p. 2.

T H E S I S I.

BIBLIOTHECA vocabulum Græcum (a) est.

(a) Græcè enim, docente ETYMOLOGIA, sonat Βιβλιοθήκη. a. derivatum à βιβλίον libellus &θήκη repositorium, q. d. Librorum repositorium s. depositorium. Joseph. Laurent. *amalthæa onomastica* lit. B. p. 86. b. & Matth. Martinii *lexicon philolog.* lit. B. in antiqvis Lapidibus *Bybliothea* & *Biblyothea* lectum ab Aldo Manutio fuisse, refert Joh. Lomeier. *de Bibliothecis* c. 1. p. 1. quæritur an rectè scriptum ita fuerit? scriptionem Priorem tolerari ortassis posse credas ex eo, quòd Græcis etiam scribatur Βύβλιος idem quòd βιβλίος denotans. vide præter Matth. Martinium l. c. Joh. Scapulam in *lexico Græco-Lat.* lit. β. p. 278. conf.

Λ >



conf. infra th. 7. lit. a. à Bibliothecâ verò dicitur *Bibliothecarius*, cuius Officium Virtutes & Dignationem multis exponit Christoph. Colerus in *orat. de Bibliotheca Vratisl. Mario-Magdalena* p. 31, seqq. cui jungi potest Baroni-
nius ad ann. 726. n. 10. p. 58. & Onuphr. Panvinius de *bibliotheca Vaticanâ*, ubi multi recensentur, qui functi fuerunt munere Bibliothecarii.

THESIS II.

Significat nobis (a) magnum librorum Numerum (b)

- a. (a) Sumitur *Bibliotheca*, tanquam vocabulum HOMONYMUM, in sensu vel Propriò vel Impropriò. *Impropria* significatio est, quando per Bibliothecam indigitatur 1. Synecdochicè *Unus liber*, qui vel Catalogum librorum exhibet [quales sunt Bibliothecæ Sixti Senensis, Gisberti Voëtii, Georgii Draudii, Philippi Labbei, aliorumq;] vel notæ Singularis est aut videri potest [qualis est Bibliotheca Apollodori, Diodori, Siculi item Rideri, qui Lexicon suum Anglicum ita inscripserat, notatus ob id ab Owenno *lib. 2. epigr. 109.*

quid sibi ridendi vult Bibliotheca Rideri?

Unus enim non est Bibliotheca liber.]

2. Metaphoricè (a) *Homo* undiquaque *eruditus* [quem in modum *Βιβλιοθήκη ἐμψυχὸς καὶ ὠρεῖται* Μασίων vocatus fuit Longinus Cas-
sius ab Eunapio, Janus Dufa à Tobia Magiro in *eponymolog. Critico* p. 73. adde p. 71. & 122. & Daniel Heinſius à Christophoro Colero in *præfat. orat. de bibliotheca Mario-Magdalena.*] (β.) *Mundus*, de quo Joh. Heidfeldius in *Sphinge Theolog-Philosoph* c. 3. de *Mundo* p. 67. ubi Antonii Eremitæ verba legenda offert. Propriè verò notat primò *Locum*, in quo libri tenentur: & sic iterum accipitur vel pro *Ædificio* Totò [Hebræi nominant בית ספר Domum librorum. Theoph. Spizelius in *coron. philolog. annexa arcanis Bibliothecar. relectis* §. 1.] vel pro *Armariò*, quod Pars est ædificii, observante Ulpiano *L. 52. §. 3. ff. de Legatis. 3.* ibiq; Dionys. Gothofredò. adde Ludov. Lucium in *thesauro Latine lingue bipartito part. 1. lit. B. p. 227.* Deinde significat etiam *Multitudinem librorum*,
b. quæ Hujus loci significatio est. (b) *Numeratum* scilicet & *Concretum*, sive *Copiam* librorum. Nicol. Perottus in *Cornu copie* p. 1102. vers. 52. & p. 779. vers. 2.

THESIS III.

Vocatur aliàs (a) *Libraria* (b), supellex *Libraria* (c)

(c), copia Libraria, corpus Librarium, (d) & similiter (e).

(a) SYNONYMIS Latinis nam nec Aliis lingvis emphatica, a. defunt vocabula, quibus Bibliothecam exprimere consueverunt Sup-
peditabit ista Ambros. Calepini dictionar. *sub voce Bibliotheca*. (b) in b.
Matth. Martini lexico philolog. *lit. L. sub voce Libraria* & Josephi Lau-
rentii amalthea Onomastica *lit. B. sub voce Bibliotheca*; quoniam Aliam
quoque hujus vocis significationem esse putet Justus Lipsius *in Syntagm.*
de Biblioth. c. 1. (c) ita vocat Joh. Lomeier. *de Biblioth. c. 1 p. 2. m. & c. 3. c.*
sect. 3 p. 57. fin. (d) apud Christoph. Colerum *in Orat. de Biblioth. Vratisl. d.*
Mario-Magdalen. p. 13. s. 57. & 10. pr. it. p. 12. (e) sic Bibliothecalis copia e.
legitur apud Martianum Capellam *lib. 2. p. m. 48.*

THE S I S IV.

Et est (a) Thesaurus (b) literarius (c), in quo o-
ptimorum auctorum (d) Libri (e) reconduntur (f),
Universæ reipublicæ & Privatorum commodis inter-
vens (g).

(a) DEFINITORE Joach. Camerario *in hor. subcisiv. cent. 3. a.*
c. 72. p. 264. (b) sive Collectio, Compages, Congeries, Congregatio, b.
Copia, & Systema, quæ verba Generis sustinent vicem. Cujusmodi vo-
cem etiam adhibent Hebræi in designanda Bibliotheca, ספריים ספרים
seu Collectionem librorum dicentes, atque ita duobus vocabulis descri-
ptionem satis nervosam exhibentes. vide Valentin. Schindlerum *in lexi-*
co Pentaglotto sub voce ספרים p. 105. (c) Differentiam habes à Materiâ c.
desumptam. (d) confer infra *th. 7. lit. c.* (e) iterum innuitur Mate- d. e
ria eaque Propinqua, vide infra *th. 7. lit. a.* (f) certò Ordine, in quo f.
Forma bibliothecæ sita est, quâ de videatur infra *th. 5.* (g) Finis & Ef- g.
fectus bibliothecæ est, ut *Profit non Privatim modò verum etiam Publicè,*
ut inferius quoque monebitur *th. 9. lit. a.*

THE S I S V.

Est (a) autem I. (b) alia PUBLICA (c) alia PRIVA-
TA (d): II. (e) alia SACRA (f) alia PROFANA (g): III.
(h) alia MAJOR (i) alia MINOR (k): IV. (l) alia

A. 3.

VE-



VETUS (m) alia RECENTIOR (n): V. (o) alia PATENS (p) alia CLAUSA. (q)

- a.b (a) Potiores tantum DIVISIONES hinc attingemus (b) ratione *Finis*, Usus scilicet, qui vel Publicus vel Privatus est, ut dictum *th. c. d. precedenti lit. g.* (c) quæ in *Publicum* Studiosorum *usum* dicata. (d) quæ *Privatis* cujusq; *usibus* destinata est. Tertiam quoq; speciem adjungere velle videtur Justus Lipsius in *Syntagm. c. 5.* quam vocat *Velut-publicam*, h. e. cujus *Fus mancipiumq;* (sic enim describit) dominus Sibi retinet, *Usum* tamen Eruditis concedit; verum & hæc Privata videtur esse.
- e.f. (e) ratione *Materia* consideratæ secundum *Qualitatem* (f) quâ libri continentur *res Sacras* complectentes. (g) sive *Politica*, in quâ *Profani argumenti* coacervati sunt libri. Et hæc divisio Gentilibus etiam ignota non fuit. Habuerunt enim Romani. quoque bibliothecas suas & Politicas & Sacras: in Illis Leges & Acta, in Hisce Annales, Fastos, libros Augurales, Vatum, Sibyllinos, Fulgurales, Rituales, Haruspicios & Fatales custodientes, ut egregie probat Johannes Lomeierus *de Bibliothecis c. 6 p. 100. seqq.* (h) ratione *Materia* consideratæ secundum *Quantitatem*. (i) quæ *Pluribus* instructa est voluminibus. (k) quæ *Minori* contenta est librorum numero. Est enim supellex libraria pro cuiusque conditione modo Major modo Minor. Patebit hoc ex illis, quæ dicuntur *th. 7. lit. b.* (l) ratione *Adjuncti*, videlicet Temporis. (m) sive *Antiqua*, quæ *Priscis* extracta temporibus fuit. Hinc primas Antediluvianæ tenent bibliothecæ, de quibus peculiariter agit Joach. Joh. Maderus: quemadmodum de Antiquis Ægyptiacis Græcis Romanis Just. Lipsius in *syntagm. de Bibliothecis* & Mich. Neander *de Bibliothec. perditis apud Maderum p. 42.* Cujus generis etiam permultas nostra fovet Germania, quarum Antiquissimam omnium illam Laurisseni monasterii sive Lorschensem censet esse Joh. Lomeier. *de Biblioth. p. 200.* (n) sive *Nova*, quæ condita est ætate vel *Nostrâ* vel *Non adeò remota*. (o) iterum ratione *Adjuncti* (p) quæ vel Omnibus vel Certis diebus per horas aliquot utentibus *Patet*. (q) ad quam vel *Nunquam* vel *Rarò* quis *admittitur*. Cujusmodi videas Romæ. Vaticana enim triplex esse dicitur: 1. *Patens* diebus profestis per Duas horas: 2. *Secretior*, 3. *Clausâ* selectorum librorum, quæ à Sacerdotibus concinnata, postea sive Negligentiâ sive Fraude exhaustâ, prope jam & exinanita est. hanc semel ingrediendi potestatem magnò adeptus negotiò fuit Antonius Muretus, ceu fatetur ipse *lib. 2. epist. 18.*

THE-



T H E S I S VI.

Constituitur non tantum à personis (a) PUBLICIS (b), sed etiam PRIVATIS (c), quæ NECESSITATE (d) UTILITATE & JUCUNDITATE (e) svadente STUDIOSE (f) MODOQ; non unô (g) illam tum Instituunt tum. Conservant (h).

(a) en EFFICIENTEM bibliothecæ Principalem! (b) five Emi-a.b
 nentibus & Magistratum gerentibus. Olim enim [quidnî & Hodie?] Regum atqve Principum virorum (sic loquitur non nemo apud Johannem Jacobum Speidelium in *Speculo lit. B. observ. 120. sub voce Bibliothec. p. 150.*) hæc erat Cura, imô Gloria, ut extractis amplissimis Bibliothecis optimos quosque scriptotes & auctores posteritati salvos retinerent. Huic adstipulatur Anton. Reiserus, qui in *dedicat Indicis Manuscript. biblioth. Augusta-na: Augusta*, inquit, semper res est visa, ad Reges Principes Rerumque publicarum Magistratus pertinens quam maxime Bibliothecarum ad usum communem Collectarum cura, easdemque Conservandi & debitis cum Augmentis illustrandi sollicitudo. Neque obscure Lutherus hoc innuit *tom. 2. Altenburgensi fol. 807. a. & 813. a. b.* Perquam multi etiam Imperatores Reges Episcopi Principes Abbates & Magistratus munus hoc suum, jamdudum agnoverunt, qui incredibili literarum amore flagrantibus jure optimo proprium sibi facere potuerunt, quod Julianus Apostata scripsit, ad Ecdicium Ægypti præfectum: Quidam Equis, alii Avibus, nonnulli Ferris delectantur; Ego verò inde à pueritiâ Librorum arsi cupiditate. Theoph. Spizel. in *dissertat. prælimin. arcan. bibliothec. resect. §. 4.* videatur Justus Lipsius in *Syntagm. de Bibliothec. passim.* (c) i. e. hominibus, qui nullò c
 funguntur Magistratûs officio, Fortunis tamen omninò non de-
 tituti. Sicut autem congerendorum librorum cura apud Privatos ho-
 mines Hodie frequentissima est ita, ut vix reperias ullum, quin aliquid
 codicum possideat: ita nec Olim defuere, qui nobiles sibi pararunt biblio-
 thecas, quorum aliquos indicat Lipsianum syntagma *de Bibliothec. c. 8.* Di-
 gnus memoriâ præ multis est Johannes Harius Goricomienfis, de quo ita
 Joh. Lomeierus *de bibliothec. p. 250.* Hic ait, non admodum literatus, eâ ta-
 men pietate & in literas affectu fuit, ut per omnem ætatem summâ cum
 diligentia nec minori impensâ, admirandam planè omne genus librorum
 Bibliothecam congesserit. Erat in Patria Canonicus, sed beneficio Cæ-
 faris



faris, cooptatus fuit in collegium Canonorum Hagensium; quò cum
 larem suum transferret, & unà tot libris instructam Bibliothecam, popu-
 lus mirari, stupere, fateri deniqve, nunquam se credidisse vel in totò terra-
 rum orbe tot volumina reperiri, quare & inditum homini cognomentum
Johanni de Libris. Nec tacendus est Joh. Oporinus typographus Basile-
 ensis, cujus quanta fuerit Bibliotheca, discas è prolixissimò catalogò qui
 d. editus est annò 1571. *sub titulo: Exuvie Johannis Oporini* (d) quæ
Impulsiva causa est eaqve *προκαταρκτική*. nam Frustranea omnis esset Scri-
 ptura, quæ dubio procul summè Necessaria est, nisi scripta tam ad præsen-
 tium quàm posteriorum usum disposita Asservarentur. Christoph. Co-
 e. *ler. in orat. de biblioth. Mario-Magdalen. p. 4.* (e) Aliæ indicantur *Impul-*
 f. *sive* Externè moventes. Confer infra th. 9. (f) *Impulsiva* inuitur,
προηγμένη, Φιλοβιβλία utramqve in hóc negotiò paginam faciens, de
 quâ legi potest Herm. Conringius *in Bibliothecâ Augustâ p. 150 & p. 160.*
 item Theoph. Spizel. *in coronide philolog. de Veter. Ebræor. & Recentior. quo-*
 rundam *erga Bibliothecariam & Librariam rem amore ac studio, additâ Ar-*
 g. *canis Bibliothec. retectis.* (g) tanquam *Instrumentali* causâ, qualis est Col-
 latio pecuniæ publica Donatio Emtio Legatum Testamentum, quin &
 Spoliatio aliarum bibliothecarum. nam Æmilius Paulus, Lucullus & Cor-
 nelius Sulla aliquot bibliothecas è Subjugatis provinciis Romam, tan-
 quam inermes colonias deduxerunt. Just. Lipsius *in Syntagm. c. 5.* Jo-
 hannes Tipitotus Anglus Italiæ bibliothecas Spoliâsse dicitur ut Londi-
 nensem exornaret. Joh. Lomeier *p. 262.* & quis nescit Vaticanam bi-
 bliothecam ex Spoliis Palatinis mirificè auctam esse? Herm. Conring. *de*
 h. *Bibliothecâ Augustâ p. 27. & 71.* (h) *Sumtus* non exiguos tum in Apparan-
 dis necessariis tum in Salariis curatoribus [Publicæ præprimis bibliothecæ]
 constituendis facientes. Sumtus enim *Instrumenta* sunt, sine quibus, uti mul-
 ta, ita Bibliotheca consistere non potest. I. Picus Mirandulæ comes *Septem*
 in comparandis libris *aureorum nummum Millia* exposuisse refertur à Joh.
 Lomeier. *de Biblioth. p. 189* cui jungi poterit Christiani Ravii amica ad-
 monitio *ad lector. in spolio Orientis.* Thomam Bodleum equitem Anglum
ducenta Millia librarum Gallicarum ad ornatum dictæ à se bibliothecæ, quæ
 Oxonii est, contulisse constat ex Is. Casauboni *epist. 754.* Plures taceo, cum
 ipsa res quotidie loquatur. Hoc addo, subsidium bibliothecis inæstima-
 bile suppeditari tam erigendis quàm conservandis ab arte *Typographi-*
câ, quàm ob id non immeritò Cæli munus, itemqve rei literariæ & in-
 primis

primis christiana Currum & Aurigam vocat Anton. Reiserus in *dedicatis*
Indicis Manuscript. biblioth. Augustanae.

THESIS VII.

Continet verò LIBROS (a) Multos (b) & Varios(c):

(a) MATERIA ex quâ Bibliotheca componitur, sunt Libri. Quo-
rum nomine veniebant Olim tantum Cortices arborum interiores &
tenuiores, quibus animi concepta inarare solebant. Arbores autem illæ
in Ægypto nascebantur & βιβλοι nominabantur. Videatur Alexander
ab Alexandro in *Genial. dier. lib. 2. c. 30.* & Matth. Hammer im *historischen*
Rosengarten c. 4. p. 39. seq. Hodie libri vocantur codices, qui pluribus ex
chartis è quâcunque materiâ præparatis compaginati sunt. Henr. De-
cimator in *thesaur. Latine lingue lit. L. sub voce Liber.* (b) Quantitas li-
brorum ad Bibliothecam sufficientium determinari non potest. Sunt enim
bibliothecæ aliæ Majores aliæ Minores pro Temporum Locorum & Perso-
narum ratione, ut diximus supra *th. lit. 5. i. k.* Etenim in mundi Primordiò
tanta librorum copia non fuit, quâ Nunc ferè laboramus, & omnes Bi-
bliothecæ à Minoribus initiis ad Majorem multitudinem succreverunt.
Circumfertur dictum Philippi Melanchthonis, Quatuor auctores Biblio-
thecam constituere: Aristotelem, Plinium, Plutarchum & Ptolomæum,
Tantamque habuit Franciscus Junius Theologus, cum Genevæ operam
literis daret [constantem Bibliis, Institutione Calvini, Confessione Bezae,
& Grammaticâ Hebræâ Cevellarii.] Sed longè Plures communiter con-
flari in justæ magnitudinis bibliothecâ, testem habemus experientiam.
Opulentissima illa in Escuriali Hispaniæ præter innumeros alios ostentat
261. codices Arabicos; quemadmodû Hafniensis Medicæ disciplinae volu-
mina 1205, alius quàm plurimis in numerum hunc non venientibus, ceu
scribit Joh. Lomeier. *de Biblioth. p. 266. 271.* Ultra 40000. librorum exti-
tisse in Mazarinianâ bibliothecâ affirmat Gabriel Naudæus in *der Ver-*
mahnung an die Parlaments-Herrn in Paris über die Verkaufung der
Bibliothec des Herrn Cardinalis Mazarini. Imperator Gordianus Romæ
habuit librorû 62000. Pisanae Academiæ Aldus Manutius 80000. librorû
Bibliothecam legavit Jac. Middendorp. *de Academ. lib. 4 p. 77.* Impera-
tores Constantinopolitani in Basilica S. Hilarii & Templo S. Sophiæ
120000. librorum recondita habuere J. J. Speidel. *in Speculo hist. pol. jur.*
p. 151. Pergamæ congesta fuisse 200000. singularium librorum (εἰκοσι μυριά-
δες

B



ἅς βιβλίω ἀπλῶν) seu Voluminum (sic enim *ἀπλὰ βιβλία* reddit Just. Lipsius in *Syntagm. de Biblioth. c. 4.*) tradidit Plutarchus in *Marco Antonio*. Has omnes bibliothecas superavit olim numero Alexandrinus iste librorum thesaurus, in quo ferme 700000. voluminum servata fuisse asserit A. Gellius *Noct. Attic. lib. 6. c. ult. 17.* in regiâ Abyssinorum bibliotheca amplius decies millies centena millia voluminum scripta in candidis membranis atque in thecis sericis reposita contineri, auctor est Theoph. Spizelius in *dissert. pralimin. Arcan. biblioth. retecl. §. 4.* Verum Remota hæc sunt atque Exotica. in Nostris etiam terris habemus, quod miremur. In Guelpherbytanâ certe bibliothecâ A. C. 1661. m. April. reperta fuerunt 144766. voluminum, computante Herm. Conringio in *epistola de Bibliothecâ Augustâ*: & 80000. minimum in Vindobonensi, ut colligit laudatus modo Spizelius *l. c. §. 5.* habentur. (c) Non unius generis in bibliothecis codices inveniuntur. Dantur enim tam *Manuscripti* [quibus abundare perhibetur bibliotheca Augustana, Ferrariensis, Dunensis, Leidensis, Parisina regia, Scorialensis, & aliæ atque in his Lipsiensis - Paulina, deque horum Utilitate disserit Anton. Reiserus in *præfat. Indic. Manuscript. biblioth. Augustanae* & Jacob Philipp. Tomasinus Episcopus Amoniensis *de bibliothecâ Manuscriptis apud Maderum p. 54. seqq.*] quam *Typis excusi*, tam *Profani* quam *Sacri*, omnium Lingvarum & Facultatum. Superbire verò ut plurimum solent libris *Rarioribus & Vetusis*. Utròque nomine Genevensis laudatur bibliotheca; Seorsim tamen utrumque genus in certis bibliothecis videbimus. *Raritate* itaque præstantes libros quod attinet, exhiberi hujusmodi feruntur non tantum in bibliothecâ quam habent in cænobiò S. Germani in Galliâ [ubi monstrant librum arborum Corticibus inscriptum, librum characteribus plenum cujus auctor putatur Cicero, librum psalmodiarum membranis inscriptum qui à Justino Imp. S. Germano donatus creditur] sed etiam in Navarræa & Sorbonicâ [ubi epistolam Pauli ad Laodicenses in pervetustò codice ajunt extare,] Joh. Lomeier. *de biblioth. p. 260.* quibus accenseo è veteribus Byzantinam & è recentioribus Uratislaviensem - Mario - Magdalenam. in Illâ enim conspiciebatur Draconis intestinum 120 pedes longum, cui aureis literis Homeri Ilias atque Odyssea inarata, quo de Just. Lipsius in *Syntagm. de biblioth. c. 3.* & Matth. Hammer im *Historischen Hofengarten p. 38.* in Hâc visenda porrigitur Thomæ Schweikeri Hala-Svevi, qui Brachius Manibusque caruit, Scriptura Pedum ministeriò elegantissimè directâ, teste Christophoro Colero in *orat. de biblioth. Mar. Magdal. Vetusitate autem & Præiò librorum* quam

quàm plurimum Vaticana se jactat, docente jam allegato Lomeiero p 242. Quemadmodum verò Istiusmodi librorum permagna in bibliothecis est æstimatio, ita non inferiori habentur locò scripta *Ἀυτογράφα* s. *Idiographa* & *Authentica*, quæ magnò conquiruntur studiò sumtuq;: quæ de re legi potest Theoph. Spizeius in *dissert. prelimin. arcanor. Biblioth. rector. §. 8.* Cæterum ut non tam *Copia* quàm *Bonitas* librorum cum dilectu quæraratur, svasor est Justus Lipsius in *Syntagm. de Bibliothec. c. 8.* & Lutherus *tom. 2. Altenburg. p. 814.*

THESIS VIII.

& eos variâ DISPOSITIONE (a) junctos.

(a) FORMA Bibliothecæ consistit in *Εὐθυμοσύνη* i. e. in convenienti Dispositione & Collocatione librorum, quæ Arbitraria est. Generales enim in hisce regulas præscribi neque Personæ neque Tempora neque Loca patiuntur. Unde fit, ut nonnulli supellectilem suam librariam componant ordine *Alphabeticò*, nonnulli secundum *Numerum* singulis adscriptum codicibus, nonnulli secundum diversam *Proceritatem* [quem in modum digesta est Augusta bibliotheca. Herm. Conring. de *Biblioth. Augusta* p. 128.] nonnulli secundum *Facultates*, *Classibus* certis constitutis modò Pluribus modò Paucioribus: quod faciunt Jesuitæ ut plurimum, de quibus observatu non indignum hoc etiam scribit Rodolph. Hospinianus in *hist. Jesuit. fol. 219. b. m.*: In Jesuitarum, inquit, bibliothecis *Hereticorum* libri inter Alios non collocantur, sed ad Sinistram constituuntur, & quidem Atris pellibus atrisq; membranis ligati & Atrò desuper colore tincti. Nonnulli quoq; *Catenis* alligatos possident libros, nonnulli *Liberant* illis stationem permittunt, nonnulli *Scriniis* occlusis servant, nonnulli etiam *Figuras* certas exprimunt non Librorum solum positione, sed Armariorum quoque & ipsius Aedificii structurâ. Postremum hoc videre est in bibliothecâ Oxoniensi-Bodlæanâ, quæ Figuram literæ T accuratè referre scribitur ab Js. Casaubono in *epist. 754.* Thomas Jamesius, qui Bodlæanæ hujus catalogum edidit, paulò aliud in *proem.* consilium suggerit: qui libris, ait, abundant, eos (si me audiant) numeratos habeant à primò ad ultimum, etiamsi Mille-narium unum vel alterum exuperent, suum cuiq; volumini *Numerum* affigendo, incipiendo ab *Oriente* ad *Occidentem*, libris prius in *Foliò Quarto* & *Octavo* in pluteis separatim collocatis, neglectâ Materiâ quam tra-

stant &c. Conferatur Theop. Spizel. in *dissert. prelim. arcan. Biblioth. re-
tect. §. 16.* Curandum tamen semper est, ut Dispositio cum Jucunditate
atq; Utilitate conjungatur. Uberius hâc de re consulè Herm. Conrin-
gium de *Bibliotheca Augusta* p. 105. item J. H. Alstedium in *encycl. ped.*
lib. 4. de Didactica c. 5. reg. 3. p. 100. b. ubi illam præfert locationem, quæ
cum ipsâ partitione Encyclopædiæ convenit & statim ab ipso delineatur.

THESIS IX.

Præstatq; UsUM (a) pariter ac VOLUPTATEM (b.)

- a. (a) FINIS & EFFECTUS [hi enim coincidunt] Primarius
bibliothecarum est Utilitas, eaq; Publica & Privata i. e. quæ cum in Rem-
publicam tum in Singulos quosq;, quibus in illis versari quotidie licet,
redundat. Ut vero hæc ipsa feliciter obtineatur, non temerariè sed
prudenter admodum utendum est istis eruditionis instrumentis, eò ni-
mirum modò, quem tradit Mich. Kirstenius in *memoria bibliothecæ Ham-
burgensis structæ A. C. 1651.* quàm brevissimè: *Utare libris, i. e. Aperi Le-
ge Intellige.* Cùm autem juxta thesin 4tam *lit. c. d.* vel Publica vel Pri-
vata sit bibliotheca, de Publicæ usu necessarium hoc monitum Idem in
locò citatò annectit: *Manus Tempera, Exerce Oculos, Animum Pasce!* Et
huc collimat, quod in Publicis quibusdam bibliothecis receptum est, ut
nemini librum in conclave suum Auferre secum liceat, facultas tamen
detur In bibliothecæ sacrariò pro lubitu optima quæq; excerpenti. Joh.
Lomeier. de *bibliothecis* c. 10. p. 270. ubi dicit obtinere hunc morem in bi-
bliotheçâ Escuriali. (b) Secundarius hic Finis & Effectus est. Per-
multi enim non in UsUM, sed in Splendorem Spectaculum & Ornamen-
tum domus libros coacervare solent. Seneca de *tranquillitate animi* c. 9.
Theoph. Spizel. in *diss. prelim. arcan. Biblioth. relect. §. 3.* Permulti Gra-
tiam etiam & Famam sibi Librorum pariunt curâ. J. Lipsius in *Syntagm.*
c. 8. quæri hòc posset loco, an *Molles Effeminatos Otiososq;* homines effi-
ciant Libri? Affirmabat hoc olim veteranus quidam Gothorum miles
apud Joach. Camerar. in *hor. subcisiv. cent. 3. cap. 72. p. 267.* Sed Ineptè,
cùm instrumenta sint libri ad res non in Bello minus quàm in Pace feli-
citer gerendas.
- b.

THESIS X.

Unde meritò CELEBRATUR (a) & splendide sæpe (b)
EXORNATUR (c),

(a) AD 2



(a) **ADJUNCTA** Bibliothecarum hîc exponere incipimus, a.
 absolvenda in thesi seq. II. Primò huc referimus *Laudes & encomia*,
 quæ profectò satis honorifica deprehendimus. Quid est enim Biblio-
 theca? *Φυξῆς ἰατρῶν, Ψυχονάρχειον*, certissima Philosophiæ sedes,
 omnigenæ Scientiæ Sapientiæ & Prudentiæ armarium armamentarium ac
 domicilium Eruditionis instrumentum, thesaurus & supellex Ingenio-
 rum, Studiorum nutricula, Humanitatis & Virtutum officina, promtua-
 rium Artium & Lingvarum, Literarum securissimum sacrarium, magnarû
 Animarum prytaneum, Capitolium Æternitatis, inæstimabile Æternitatis
 cimelium &c. (b) non Semper. nam Ornatum quandoq; impedit res b.
 Angusta domi & Curta possessoris supellex. Conf. supra th. 5. lit. k
 (c) Ornatus bibliothecæ inhæret vel Libris vel Loco. ad *Librorum or-* c.
 natum spectat, quando Aurò Argentò & Gemmis onerantur, vel Aureis
 aut Elegantibus aliis literis scribuntur & inscribuntur, vel Tegumentis
 pretiosis compinguntur, & si quid datur aliud. Id quod ætate Majorum
 etiam observatum fuit. Certè Aurea evangelia cum Gemmis librarum
 XV. servabantur Constantinopoli *Magdeburg. cent. 8. p. 342* ibidem osten-
 tabatur opus Homeri Aureis literis exaratum, quod testatur Georg. Ce-
 drenus *apud Theoph. Spizelium in dissertatione aliquoties allegatâ. §. 2. supra*
ducenta volumina Pulcherrimè conscripta, bullis Aureis, Tegumentisq;
pretiosis ornata, auctoritate Subinconis Episcopi Pragensis concremata
fuisse, narrat Æn. Sylvius Hist. Bohem. c. 35. Huc pertinet varia variarû Ima-
 ginum vel in involucris vel in frontibus librorum impressio, cujusmo-
 di videre erat in Vvittebergensi bibliotheca, Jenam postea A. C. 1547.
 translata, cujus codicibus singulis præfixa erat imago Johannis Friderici
 Saxonie Electoris. *Joh. Lomeier. de Biblioth. p. 247.* Nec rarò Lutheri &
 Melanchthonis effigiem in libris expressam hodiernam exhibent biblio-
 pegi, ad quos deliciarum harum cura propriè pertinet. de *Loco thesi*
 seq.

THESIS XI.

Locus (a) etiam in quò collocanda (b) est, Com-
 modus (c) Splendidus & (d) Dignus (e) eligitur.

(a) Quatenus accipitur pro *Substantiâ locante*, quem in modum, a.
 accipimus si dicimus: Cælum est Locus stellarum. vide Gisb. ab Isen-
 doorn *in physiolog. peripatet. part. general. tract. 2. c. 11. p. 74.* Obiter notari
 hic

- hic potest, quod Nomen bibliothecis frequentius à Locò imponi soleat;
- b. quàm à Conditoribus, Herm. Conring. *de Biblioth. Augusta* p. 47. (b) intelligitur non solum totum Ædificium & Palatium librarium, sed etiam ea quæ necessaria sunt v. c. Armaria Cunei Cameræ Foruli Loculamenta Pavimenta Pegmata Plutei Pulpita Repositoria atque id genus plura, de quibus Just. Lipsius *in Syntagm.* c. 8. & 9. (c) h. e. Tutus, Sufficiens, ad Usum aptus, Salubris, atque Hilaris. *Tutus* præstatur locus, si ita fiat structura, ne vel Incendium temerè vel Hostilis direptio librorum metuenda sit. *Sufficientem* locum atque ad *Usum* aptum iusta facit Capacitas atque Amplitudo. Herm. Conring. *de Biblioth. Augusta* p. 133. *Salubres* erunt bibliothecæ si juxta præceptum Vitruvii *lib. 6. architect.* c. 7. p. 114. Orientem solem, ut sic loquar, adorent & fenestras habeant Subsolano vento apertas. Ratio 1. est quia Usus librorum *Matutinum* postulat lumen. 2. quia tunc libri *Non putrescunt.* nam venti Orientales Calidi sunt & Sicci adeoque valde efficaces ad halitus nocivos Temperandos & Purificandos; Meridionales contra & Occidentales, utpote Humidi, procreant Tineas & alunt, infundentesque Humidos spiritus, Pallore volumina corrumpunt. in quò consentientem habemus Nicol. Perottum *in Cornu copia* p. 140. *vers. 45. seqq.* *Hilarem* bibliothecam describit Joh. Lomeier. *de Biblioth.* p. 330. cum de Vaticanâ sic loquitur: Bibliothecæ Vaticanæ locus summè *Hilaris* est, & Musarum digna sedes *Lucem* Amplissimis fenestris copiosam accipit, & è propinquis *Hortis* Svavem auram, quæ libros legentesque recreat. (d) qui talis per *Ornamenta* redditur, quorum compendium videas in eâ, quæ apud Ferrarienses floret, bibliothecâ quæ gaudet rarissimis *Antiquitatum* reliquiis, *Statuis* Marmoreis, *Signis Tabulis Sigillis* Æreis ac Marmoreis, *Nummis* Aureis Argenteis Æneis, magnâ ex parte à Pyrrhò Ligoriò architectò ingeniosissimò collectis, Joh. Lomeier. *de Biblioth.* p. 235. cui jungi potest Emundus Figrelus *apud Maderum* p. 71. ubi de Statuis illustrium ac cumprimis doctorum virorum in Veterum bibliothecis peculiariter. *Cedro* prætereâ atque *Ebore* aptata Olim armaria fuisse scribit Seneca *de Tranquill.* c. 9. unde Eborea bibliotheca *L. 52. §. 7 ff. de legat. 3.* qualis erat Boëtiana, cujus parietes *Eboreac Vitro* [Obsidianò scilicet] compti erant, attestante ipso Boëtio *de consol. Philos. lib. 1. p. m. 17.* Cur autem apud veteres non ex *Auro* sed ex *Marmore Carystio* bibliothecas plerumque fabricârint peritiores architecti, Rationes ex Isidoro assignat Justus Lipsius *in Syntagm.* c. 9. Quid vulgo Hodieque splendorem Bibliothecis conciliet, notum est ita,

ut

ut vix monendam de illô quicquam videatur, cum introeuntium oculos in primô statim limine feriant elegantissimæ *Pictura, mappa Geographica, tabula Genealogica, Emblemata, Epigrammata sive Inscriptiones, Globi* tum Terrestres tum Cœlestes. & quid non? Sed illud hic non ineptè quæsieris, Quis è Coloribus tam multis quàm maxime Bibliothecis conveniat? Respondet Franciscus Patricius *lib. 8. de Institut. reip. tit. 15. apud Maderum p. 35.* quòd *Viridi* debeatur prærogativa, utpote qui Oculos reficiat. (c) e. quod observant tam in Privatis quàm in Publicis bibliothecis. Publicæ ut plurimû collocantur in *Templis Collegiis Monasteriis Cœnobiis Oratoriis Gymnasiis Synagogis Curiiis Archivis Prætoriiis Palatiis Principû Arcibus Fortalitiis &c. de Templis* quæritur, utrû In illis aut Juxta illa rectè Libri asserventur? Affirmat Just. Lipsius in *Syntagm. de Biblioth. c. 8. pr.* quidni, inquit, Sacra illa ingeniorum opera in locis Sacratissimis! Quòd verò in *Monasteriis* Bibliothecæ tam multæ reperiuntur, ratio est, quia multis à Christo natò seculis Eruditio omnis ex antris Monasticis promanavit [Verba sunt Excellentissimi Felleri in *orat. de Bibliotheca Paulina-Lipsiensis.*] Spizelius factitari hoc dicit ad Exemplum veterum, qui, ut studia redderent Ornatiore, librosque facerent Commendabiliores, utque doctorum hominum Cultum & Venerationem augerent, Bibliothecis non alibi quàm in Deorum suorum Templis locum dederunt in *dissert. pralim. arcan. Biblioth. resect. §. 7.* Sed utique Alibi etiam locum dederunt, puta in *Thermis Fundis & Villis*, Otii & Vacationis ibi causâ, quia hominibus aliàs occupatis occasio erat Legendi aliquid vel Audiendi, ut habet Just. Lipsius in *Syntagm. c. 8.*

THESIS XII.

Cæterum perquam SIMILIS (a) est Bibliotheca Archivò (b) Argyrothecæ (c) Armamentario (d) Exoticotamio (e) Herbariæ (f) & Librariæ Officinæ (g) Pharmacopolio (h) Pinacothecæ (i) & rebus id genus aliis. (k)

(a) AFFINITAS hæc radicata est in Materiâ Formâ & Locò. a. Nam quemadmodum in *Bibliothecâ* volumina conspiciuntur *Multa Serie* justâ & Locò commodo digesta: ita in omnibus que cum *Bibliothecâ* *Contendimus*, tum rerû requiritur Multitudo, tum certus & accommodus Ordo, Locusque non incommodus. (b) sive Archivò, uti effert Ulpianus b. *Incus in L. 9. §. 6. ff. de panis.* & Imp. Justinianus in *L. 30. C. de episcopali*

- pali audientiâ, quod aliô nomine appellatur ab Ulpiano loco citatô Grammatophylacium, ubi *Literæ publicæ* custodiuntur. Consuli de Archivis potest Balthaf. Bonifacius Jctus apud Maderum p. 79. (c) ubi *Argentæa* reponuntur *vasa*, einen Silber-Saden vertit Matth. König in *Gazophylacio Latinitatis lit. A. p. 106.* Neque excluditur *χαλκοθήκη & χρυσωματαθήκη.* (d) Græci *ὀπλοθήκην & σκευοθήκην* vocant, ubi omnis generis *Arma* congeruntur. (e) quam vocem habet Jac. Bornitius de *rerum Sufficiencia c. 65. p. 166.* & vertit eine Kunst-Kammer. Cimiliarchium Exoticomathium & Techniothecam vocat Christoph. Besoldus in *thes. pract. lit. k. n. 58. p. 484. b. seq.* Technematothecam dixit Frid. Taubmannus p. 2. *carm. p. 545.* Rari- & Carithecium appellat Salomon Schlegel. in *disput. de Pinacothecis [habitâ Lipsiæ 1668. m. Majo] §. 1 lit. e. & §. 11. lit. c. it. §. 23.* cujusmodi videre est Dresdæ Stutgardiæ Monachii & alibi, ubi *res Antiquæ Peregrinæ & Artificiose confectæ* asservantur. Conf. Christian. Liebenthal in *colleg. Polit. exerc. 5. th. 25.* (f) ubi *Herbas* reponunt vel divendendas vel usibus alius destinatas, (g) ubi *Libri venales* exponuntur. (h) Apothecam nonnulli vocant, ubi *Medicamentorum* habetur copia. Quam benè Hæc cum Bibliothecâ comparatur! de Bibliothecâ enim liquidò affirmare possumus illud, quod D. Basilus, referente Theoph. Spizelio in *diss. prelim. Arcan. biblioth. resect. pr. de Sacrà Scripturâ*: hîc, ait, quilibet τὸ πρὸς Θεοῦ ἐνεργεῖ τῷ ἀρρώστῳ φάρμακον h. e. invenit tanquam in Medica officina appositum suæ ægrotationi Medicamentum. (i) eine Gallerey/ ubi *Tabulæ pictæ & Statuæ* digestæ sunt. Matth. König in *Gazophylacio Latinitatis lit. P. p. 876. a.* (k) referri huc possunt omnia *Phylacteria*, in quibus aliquid cum Ordine locatum continetur.

THESIS XIII.

INFESTATUR! (a) denique non tantùm à Personis (b) sed etiam Rebus (c) variis.

- a. b. (a) OPPOSITA innumas. (b) quales sunt omnes literarum & librorum Ofores, Βιβλιοτάφοι, Fures, Latrones, Piratæ, Barbari, rapaces Militum turmæ, & farina hujus plurimi. In censum enim hunc veniunt Anabaptistæ, qui occupatô Monasteriô ex Johannis Matthæi prophetæ sui mandato tantum librorum cumulum succenderunt, ut pretium viginti millium aureorum æstimaretur, ut scribit Joh. VVigandus de *Anabaptismo p. 337.* Huc pertinent Inquisitores & Purgatores Pontificii, de quibus Joh. Dallæus *hist. persecut. Bohem. c. 105. §. 4. 5. citatus Lomperio p. 341. Gothi,*

Gothi, qui Græciam vastabundi, Libros tanquam prædam Inutilem & Vilem coacervârunt, ut eos Comburerent, de quibus Joach. Camerarius *subcis. hor. cent. 3. cap. 72. p. 267.* Antiochi tyranni satellites, qui domino suo gratum facturi volumina Legis Concerpserunt & Incenderunt 1. *Maccab. 1. vers. 59.* Cajus Caligula, qui de Homeri carminibus Abolendis cogitavit. Svetonius *in Caligula cap. 34.* Diocletianus annò imperii XIX. edictum proposuit, ut S. Scripturæ Igni traderentur. Eusebius *in hist. eccl. lib. 8. c. 2* qui ibidem *lib. 1. cap. 7* narrat, Herodem libros Judæorum Genealogicos conquisitos Incendisse, ne ejus Ignobilitas patèfieret. Rex etiam Judææ Jojakim, approbantibus adulatoribus, sermones Jeremiæ Flammi è mediò tollere non dubitavit. *Jerem. 36. vers. 23. 24.* (c) cu- jusmodi sunt Blattæ Tineæ Caries Pedor Pulvis Sordes Situs Squalor Ignis Aqua Lella Direptiones Institorum abusus Incuria utentium Invidia possidentium Neglectus Non-usus Oclusio Rapinæ Venditiones [& Auctiones] Vetustas, & quis Omnia? qui plura hâc de re desiderat, adire poterit Mich. Neandrum *apud Maderum p. 37. de bibliothecis Deperditis,* & Th. Spizellium *in diss. pralim. arcan. Biblioth. resect. §. 12.*

THESES XIV.

Et hæc in GENERE (a) de Bibliothecâ: SPECIES (b) ejus in Quâvis terrarum parte (c) sunt obviæ

(a) non enim hæcenus Primariò egimus de Hâc vel Illâ bibliothecâ, quæ Hic vel Illic existit; sed de Bibliotheca prout ea Augustioribus circumscriptam terminis se offert considerantibus. (b) unâ cum Individuis innumeris. Jucundum quippe est Utile & Methodicum, à Generalibus ad Specialia descendere. J. H. Alstedius *in encycloped. lib. 3. sect. 2 cap. 19. reg. 3 p. 442.* (c) Europâ nempe Asiâ, Africâ & Americâ. (1.) de EUROPA in sequenti tractabimus thesi. 2.) ad ASIÆ bibliothecas referimus *Chinenses* quæ sunt in monte *Lingmuen* & in fanò *Venchung*, quarum illa 30000 auctorum Sinicorum complecti dicitur, Th. Spizel. *de re literar. Sinens. Sect. 2. & in arcan. biblioth. resect. §. 4.* item illam, quæ apud Japonios est: nam in civitate Narad templum est augustissimum, Xacæ sacrum, à cujus latere Bonzii eorum Sacerdotes, sua atria & cubicula habent, quorum unum 24 columnis rotundis innixum, Bonziorum bibliothecam continet, tantâ librorum copiâ referatam, ut ipsæ etiam Fenestræ libris quasi lateribus obstructæ sint. Joh.

C

Lomei-

Lomeier *de Biblioth.* p. 290. Quibus annumerandæ meritò sunt instrumētissimæ illæ, quas Auchei in insulâ *Ochiam* vidit Martinus de Herrada cum sociis, ut meminit Mendoza *hist. Sinens. Part. 1. lib. 3. c. 6 allegatus à Lomeierop.* p. 279. nec prætermittenda, quam habent *Persæ* in urbe *Ardebil* Arabicis Persicis & Turcicis libris constantem, cujus mentionem facit Ad. Olearius *in itinerar. Pers. lib. 4. c. 26.* Nec 3.) **AFRICÆ** desunt hujuscemodi eruditionis instrumenta. Est enim ibi *Fesana* bibliotheca, in quâ 32000. voluminum asservari, Erpenius ex testibus oculatis & fide dignissimis refert *in orat. 1. de ling. Arab. apud. Joh. Hoornbeck lib. 3. p. 85.* sicut in urbe *Argirio* Mauritaniæ multos Codices, quos inter aureolus Thomæ à Kempis de imitandò Christo libellus in Turcicam conversus linguam, visos fuisse scribit Claudius Clemens, quem citat Spizel. *in diss. pralim. Arcan. biblioth. resect. §. 4.* 4.) ad **AMERICAM** tandem quod attinet, in *Cozumel Jucatan Mexico Nicaragua Guahutemalla* innumeri libri reperti sunt ab Hispanis de Agriculturâ, Plantis, majorum rebus Gestis agentes, ut variis testibus probat G. Hornius *de orig. gent. American. lib. 4. c. 14.* quem citat Lomeier p. 289.

T H E S I S X V.

Unica **EUROPA** (a) innumeras fovet (b): cùm suas habeat (c) Hispania (d) Gallia (e) Belgium (f) Britannia (g) Germania (h) Dania (i) Svecia (k) Polonia (l) Hungaria (m) Italia (n) Turcia (o) & Moscovia. (p)

- a. (a) quæ nobis Natale præbet solum, atque ita Cognita magis
b. est. (b) utinam Conservet ad Finem usq; mundi, quò in promptu semper fit, quod Satanæ furoribus & Barbarizantis seculi minis opponi cum
c. fructu possit! (c) Ordinem in recensendis Europæ partibus servamus, quem constituit Christoph. Cellarius *in nucl. Geograph. cap. 3 p. 15.*
d. qui ab Occasu in Orientem progreditur. (d) in quâ præ cæteris celebrantur Complutensis, Franc. Ximenis Archiepiscopi Toletanti, Ariz Montani, Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis, Michaëlis Thomasi Episcopi Herdensis, de quibus Angel. Roccha *in append. biblioth. Vaticanæ p. 386.* atque augustissima illa, quæ in superbò D. Laurentii monasterio in Escuriali splendet, descripta à Balthas. Corderio *in epist. duabus de bibliotheca Regiâ S. Laurentii Scorialensi in Hispania, quæ legi potest apud Maderum p. 104, seqq. ubi subjungitur Catalogus MSS.*
inedi-

ineditorum, quæ ibi servantur. (e) Celebris est bibliotheca Lutetia
 cum Regia in monasterio Franciscanorum, tum Thuanorum; item quæ
 est in cœnobio S. Germani ordinis Benedictinorum in duobus conclau-
 vibus: ut & Navarra, Sorbonica, Rotomagensis & Turnonensis.
 Notissima est Aurelianensis præsertim Germanicæ nationis: neque igno-
 ta Bituricensis, Lugdunensis apud Prædicatores, cœnobii la Baumette,
 Peireskiana. Mazarinianam gravissimis commendat verbis Gabriel
 Naudæus in *Bernehmung an die Paelaments-Herrn in Paris über die*
Vertauffung der Bibliothec des Herrn Cardinalis Mazarini. Confer
 Joh. Lomeier *de Bibliothec.* p. 259. adde Barthol. Cassanæum *in catalog. glor.*
mundi lib. 12. apud Maderum p. 52 (f) Regale quidem ostentat Affligimen- f.
 sem Antverpiensem Bruxellensem Candavensem Gemblacensem (Gem-
 blours) Lovaniensem & multas alias; *Confœderatum* verò Amstelodamen-
 sen Daventriensem Docomiensem Franekeranam Groninganam Ha-
 gensem Hardervicenam Lugdunensem Middelburgensem Ultrajectinam
 & Zutphanensem, de quibus omnibus differit Joh. Lomeier p. 249. seqq.
 (g) f. Angliâ. inter omnes autem emicant Londinensis & Oxoniensis- g.
 Bodleja. Hanc laudat Britannicus iste Martialis *Ovvenus libr. 3. epigr. 8.*
& 9. & Isaac. Casaubonus *epist. 754.* quibus jungendus est qui prodiit A. C.
 1674 Oxonii, *Catalogus bibliothecæ Bodlejanæ.* (h) Prolixum foret h.
 & vix Possibile, omnium in Germaniâ bibliothecarum Nomina saltem
 consignare. Illustriores [nec omnes tamen] sunt hæ: Anhaltina Argen-
 tinensis Augustana Basiliensis Bernensis Francofurtana Guelphelbutelia-
 Brunsvicensis (sive Augusta) Hamburgensis Heidelbergensis [quæ ad-
 huc superest in Collegio sapientiæ] Helmstadiensis Jenensis In-
 golstadiensis Lavingana Lipsiensis Monacensis Noribergensis Regio-
 montana Thorunensis Tigurina Tubingensis Viennensis Vratislaviensis
 &c. Videatur Joh. Lomeier, p. 243 seqq. (i) ubi eminet Hafniensis ali- i.
 quot legatis mirificè instructa, quam tetigimus *supra th. 7. lit. b.* (k) in- k.
 star multarum esse potest, quam habet Academia Upsaliensis, curâ Chri-
 stinæ Reginae adornatam, in quâ ostenditur exemplar Alcorani, quod pu-
 tant quidam ab Imperatore Turcarum Romanorum Imperatori dono
 missum esse, ceu scribit Lomeier. p. 266. (l) Preciosissima extat biblio- l.
 theca tum in arce Vilnensi. Jac. Middendorp. *de Academ. lib. 5. p. 333.* tum
 in Cracoviensis Academix collegio theologico-philosophico majore. An-
 gel. Roccha *in append. Biblioth. Vaticanæ p. 386.* (m) dubium enim non m.
 est, quin regio quæ & Religione & Studiis hæctenus egregiè floruit, egre-
 gias

24
77
4

gias quoque Librorum gazas possideat, -Olim sanè incomparabilis erat Budensis à Matthia Corvinò Rege comparata, à Turcis postea direpta. Hujus descriptionem reliquit Joh. Alexander Brassicanus in epistola ad Episcopum Augustensem Christophorum à Stadion, quam exhibet Maderus p. 135.

(n) Notæ sunt Arqvadensis [à Franc. Petrarca in pago Arqvadâ, ubi studiis operam navavit, relicta] Bergomensis [in cœnobio Dominicanorum] Bononiensis, Ferrariensis, Fesulana [in collegio Fesulano unum à Florentiâ lapidem distante] Florentinæ aliqvot, Genuenses, Mantuani Ducis, Mediolanensis, Neapolitana, Parmensis, Patavinæ aliqvot, Pisana [ab Aldo Manuio Academiæ Pisinæ testamentò legata] Romana s. Vaticana [descripta à Franc. Schotto, Onuphr. Panvinio & Anton. Cicarella] Taurinensis & Venetæ multæ tam Publicæ quàm Privata. Legatur Lomeier. c. 10. collatò Mich. Neander apud Mader. p. 2. Plures alias enumerat Th. Spizel. *diss. prelim. arc. Biblioth. reuel* § 7. fin. (o) Tres Constantinopoli bibliothecæ sunt, quas commemorat Auctor Archontologiæ Cosm. *lib. 1. p. m. 526.* è quibus tamen unam, quæ Imperatoria & Ottomannica vocata fuit A. C. 1665. d. 28. Julii in cineres edactam dicit Joh. Lomeier. p. 283. In Atho insuper monte Thraciæ, quæ Turcarum imperio subdita est, celebratissimas bibliothecas esse, rumor est: quemadmodum etiam in Parnasso sive cœnobio ejus montis Mich. Neander apud Maderum p. 53. Conferantur Angel Roccha in *append. biblioth. Vaticanæ* p. 386. (p) nam P. Jovius *delegat Moscovit.* (quem libellum descriptum vidi manu Casp. Borneri, viri de Lipsiensi non modò Bibliothecâ sed totâ Academiâ immortaliter meriti) dicit, quòd in linguam Slavicam, quâ utuntur Moscovitæ, ingens multitudo librorum translata sit. item, quòd illi præter patrios Annales, Alexandri etiam Magni, Romanorum Cæsarum, M. Antonii & Cleopatæ memoriam iisdem literis commendatam teneant.

* * *

DESINO: inquit, quò cum incepimus in *proæmio*, Justus Lipsius, postquam *Breve* Suum de BIBLIOTHECIS ad Finem perduxit. quidnâ & Nos DESINAMUS, postquam, ut propositum erat hoc Nostrum de BIBLIOTHECIS *Breve* Absolvimus? DESINIMUS igitur, sed ita, ut gratò sonemus pectore:

SOLI DEO GLORIA!

100



rat
L.
E-
35.
bi
ra-
um
mi
na
a-
el-
L
ias
res
n-
&
cit
m-
d-
ler
A-
le-
to-
am
nta
ro-
ris

ft-
dñi

ULB Halle 3
004 369 05X




